



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Parabola de duobus debitoribus. Luc. VII. Cap. xlij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

Parabola de duobus Debitoribus. Lucae 7.

CAPVT
XLII.

Duo debitores erant cuidam foeneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent: donauit utrisque, &c.

PARABOLÆ ELUCIDATIO.

Declarare volens D. N. Iesus Christus, quàm sit omnibus peccatoribus, ad exemplum mulieris peccatricis pœnitentibus, clemens & benignus: profert in medium illustrem illam similitudinem, de duobus Debitoribus quibus non habentibus vnde redderent, Creditor donauit utrisque, & omne debitum remisit. Debiteres autem sunt omnes homines, Creditor verò Deus: qui nobis sua dona distribuit, vt eis ad gloriã ipsius, & proximi utilitatem vtamur. Sed nos quicumque sumus, siue multum siue parum acceperimus, donis tamẽ Dei sape abusus esse fateri oportet: quo factum est, vt ingens debitum contraxerimus: adeo vt alij denarios quingentos, alij quinquaginta debeamus: nemo tamen sit, qui nihil debeat. Omnes enim peccauerunt: & egent gloria Dei, teste Apostolo Paulo. Nec est quisquã, qui etiam pro minimo Decalogi praecepto neglecto, ex se potest satisfacere. Si iniquitates obseruaueris Domine, ait sanctus Propheta David, Domine quis sustinebit? Cum igitur non simus soluendo, condonat nobis omnia delicta, debiti nomine significata, piissimus Dominus: & omnia peccata remittit. Quoniam, vt idem Propheta testatur, apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.

Rom. 3.

psalm. 129.

Para-